

lium huiusmodi in locis illis effluviis, ex quo multi incurrentes morbum pestilencie perierunt.

Successionem siquidem bellorum inter reges Francie et dictum regem Anglie causa fuit. Nam mortuo Carolo rege Francie, fratre regine Anglie predicte, et absque libero masculo decedente rex Anglie filius sororis successionem in regno Francie sibi de proximo vendicabat. Contra Philippus, filius quidem patris ³⁴⁷ dicti Caroli regis Francie, quasi de masculina linea descendens successionem regni sibi competere contendens et ipsum regnum Francie apprehendens se fecit in regem Francie coronari. Rex igitur Anglie Eduardus predictus, postquam in regno Anglie convaluerat, habito primitus bello forti contra regem Schocie et obtenta victoria gloriosa contra eundem, in quo quidem bello fertur nobilissimam iuventutem et omnes viros ^{m)} militares occisiss. in conflictu plusquam 18000 hominum de Schocia corruisse, vires suas contra dictum Philippum regem Francie extendens auxilia extraneorum nationum, videlicet maiorum principum multorum de Germania, sibi per multas pecunias acquisivit, et ad firmandum partes suas ipse in sua persona cum multo apparatu ad partes Alemannie accedens transitum faciens per Coloniam iuxta confluentiam habuit cum Lodovico imperatore supra dicto occurrente sibi ibidem colloquium personale, ubi in suo transitu idem rex Anglie fuit per

^{l)} regnum l. deest cod. ^{m)} viros cod.

³⁴⁷ Caroli comitis de Valesias.